



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Laurus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A similitudinem incurvatur: inde paulo infra X, Græca idem talem litera sua insignis decussatione addita erat, id Christi nomen ostentat. Inde qui Crucis signum faceret bacillus transversus, cui velum aut mappula solebat appendi vexilli loco. Hæc duo significant apud Græcos, quorum characteribus signata erant, CHRISTUS PASSUS, aut CRUCIFIXUS. Inde pro delubro pedamentoque aliquo, vas alicujus forma, orbiculis, aut ovis, aut aliis gestaminibus castrensi more altero super alterum suffixis subjiciebantur, in hunc scilicet modulum. Quod ultimo loco subjecimus, forma loculi est, in quem vexilla figebantur, de quo alibi plenius. Agite vero qui signum hoc sequimini, & in eius imperium juratis, salutem vobis atque victoriam inde certissimam pollicemini. Non enim tumultuarium hoc, aut temere concitata cujuspiam multitudinis fortuitum est signum, quod elementa porro omnia, quod humana omnis natura, quod bruta, qua licet, exprimere conantur. Disssecatur terra punctis quatuor, a quibus ductæ lineæ crucem figurant. Puncta, Oriens, Occidens, Septentrio, & Meridies. Sanctius in ea animal Homo, brachia cum precatur in crucem extendit, vel saltem pectus signat a fronte, ad umbilicū, ut descensum a cælo in terras nostri numinis indicet, mox ableva, a corde quippe ad dexteram papillam (in dextera enim bonorum operum motus) crucem delineat. Per mare vero quæ volitant navigia, si optatum cursum arreptura sint, antennas malo in crucis effigiem applicant: quæque cælum alites secant, passis alis crucem ostentant. Nos igitur faciem & pectus cruce signati, tutius & animosius unumquodque virtutis opus aggrediamur, fluxarum cogitationum inundationes transeamus incolumes, præpetiq; volatu supra cælum attolamur, adminiculo signoque crucis omnia feliciter executuri, stratisq; & superatis dolofissimi hostis infidiis, ejusque conatibus everfis, in Domini nostri cruce tantum gloriati, trophea, more veterum, victoriarumque triumphos ipsa cruce designata suspendamus.

DE LAURO. CAP. XIII.

C Vlgatum illud est, Laurum Apollinis insigne perhiberi, ejusque fronde, Palma jam posthabita, ejus simulacra coronari. Neque tantum ea de causa, quod Laurus in ore palumbi vim medicam indicet, quæ plerisque volucribus præsentaneo est remedio, quantum quia sit, ut Eusebius ait, ignea, ideoque a demonibus maxime odio habetur. Ulta præterea resonat, quod quandam prædicendi vim habet. Ignispicium enim non tantum splendore, verum etiam crepitu portendit, frequentissimo Poetarum omnium assensu. Ferunt vero Empedoclem, qui animam esse igneam stætebat, Lauri natura considerata dicere solitum, si homini sit in animalium quodpiam transmigrandum, optandum maxime ut in Leonem transfret: commodissimum enim id animæ quæ hominem incoluit hospitium futurum. Sin vero arbor esset subeunda, in nullam commodius quam in Laurum fieri transmigrationem. Pindarus atque Callimachus Apollinem memorant interfecto Delphico Dracone Lauream induisse quasi supplicem: erant enim supplices coronati apud veteres. Aristophanes dominum & servum oracula consulturos coronatos inducit, Pluto. Quin & Liber Laurus coronabatur, in qua ex Indis triumphasse fertur, diesque in illum solemnes, magna olim corona dicebantur, ut tradit Tertullianus. Laurea itaque Apollini & Baccho sacra, illi ut Deo bellorum, huic ut Deo triumphorum. Quamquam & Myrto milites redimiri soliti: ita Claudius Saturninus, qui librum edidit de coronis. Est et alia ratio cur Laurus Apollini sacra dicatur: legimus enim apud Serapionem Aescalonitam, Laurus ad dormientium caput apposita, vera videri somnia. Id ipsum Antiphonem, Philocrum, & Artemonem, qui de somniorum interpretatione scripserunt, asseverasse comperimus. Nequidem Eusebii interpretamentum super hoc parvi fecerimus, qui Daphnen ideo dictam ait, quod δα intensiois particula, & ὄνειρον, quod loqui & canere est, in compositionem accedant. Apud Hesiodum interpretes Theogoniz, Laurus ait ἐνεργεῖν ὡς τὸς ἐόντων αἰθέρος. Hinc poetici summatim galea Lauri conum gestabant.

Laurus palumbi per
pluresq; aves
annuum
fastidium
purgant.
Mattheol.
in Dioc. li.
c. 90. Corvus
occiso chamae
lante.
fronde Lauri
deborata,
virus ex-
tinguit.
Mat. ibid.
Laurus vis
medica.
Ad hoc Macro-
bius, lib. 6.
Saturn. c. 4.
citans Lu-
ciliam.
Cuius sit
efficax
ad afflatum
torum.